

nicetur; sed contra una eademque indivisa actione, sicut fit, ita fit in subiecto (1). Atqui difficile admodum est hanc doctrinam tueri in opposita sententia; saltem negari non potest, haec multo planius et facilius concipi in nostra sententia. Praeterea sic arguere licet. In Petro ex. gr. esse substantiale ipsius quo homo est, atque esse accidentale, quo est album, vel coadunantur identice, quatenus unum sit aliud; vel sicut potentia et actus, sic nimirum, ut esse substantiale sit potentia, et esse accidentis, puta albedinis sit actus; vel denique quatenus ambo recipiuntur in tertio, videlicet in essentia Petri. Praeter hunc triplicem modum, nullus alius intelligi potest, quo hoc duplex esse, scilicet humanitatis et albedinis, simul coadunari queat in Petro. Porro prior modus est sine dubio falsus; esse enim accidentis supervenit esse substantiali, et cum eo realem efficit compositionem. Nequit dici alterum, quia nihil est actualius ipso esse, prout est esse, et propter hoc dicitur actualitas ultima omnium formarum: repugnat proinde, ut adhuc concipiatur quasi in potentia. Propterea igitur hoc duplex esse in Petro simul coadunari potest, quia utrumque vere recipitur in tertio, scilicet in essentia Petri, ideoque ab ea reipsa distinguitur ut quilibet actus a potentia sua receptiva (2).

(1) Hunc modum concipiendi et explicandi educationem de potentia subieci Card. Toletus (l. *Physic.* c. 9, q. 19.) vocat *optimum et maxime tenendum ac inde multarum gravium questionum solutionem* pendere dicit.

(2) Hae resit subtilis argumentatio, qua utitur Doctor Angelicus. \* Si esse est subsistens, aut, nihil praeter ipsum esse ei adiungitur; quia etiam in his, quorum esse non est subsistens, quod inest existenti praeter esse eius, est, quidem existenti unitum, non autem est unum cum esse eius nisi per accidens, in quantum est unum subiectum habens esse, et id quod est praeter esse. Sicut patet, quod Socrati, praeter suum esse substantiale, inest album: quandoquidem diversum est ab eius esse substantiale; non enim est idem esse Socratem, et esse album, nisi per accidens. Si igitur non sit esse in aliqua substantia, non remanebit aliquis modus, in quo possit ei uniri illud, quod est praeter esse. (2. *Cont. Gent.* c. 52.) Similiter arguit etiam S. Doctor (Opusc. *De Ente et Essentia*, c. 5).

II. Haec quidem valent de primo genere compositionis physicae et realis, quae in omni creatura, tametsi spirituali, invenitur. In creaturis enim etiam pure spiritualibus saltem habetur compositio realis substantiae cum actu intelligendi et volendi, ut suo loco demonstrabitur. Quod si loquamur de substantiis compositis, hoc genus compositionis nequit cohaerere cum vera et propria entium unitate, nisi duo principia substantialia coeant in unum idemque esse plane indivisum. Nec dicatur ex duobus, tametsi secundum esse diversis, conflari unicum operandi principium, atque adeo unam naturam et essentiam. Equidem in tali hypothese haec unitas esset quidem secundum unum operatum, at non in ipsa operatione, prout haec egreditur ab uno agente ac una virtute. Atqui non prior sed posterior operationis unitas requiritur in natura, quae sit eiusmodi vere et proprie, atque adeo simpliciter et per se una. Confer quae in huius rei declarationem suo loco diximus th. XI. praesertim [524].

## SECTIO V.

*Expendantur obiecta contra doctrinam praecedentem fieri solita.*

591. *Obiectio I* — Essentia creaturae realiter existentis, secundum se inspecta, non est mere possibilis. Ergo est actu in rerum natura, quippe cum inter ens in potentia et ens in actu non liceat invenire medium. Atqui existentia est id, quo aliquid est actu in rerum natura. Ergo essentia creaturae existentis secundum se considerata iam existit, ac propterea supervacanea est existentia superaddita.

Respondetur, concedendo tatum hunc discursum, praeter ultimam illationem. Cum enim dicitur essentia secundum se considerata actu existit, id duobus modis intelligi potest.



Uno modo, quatenus *habet* actum, seu existentiam qua actu est seu existit: alio modo, quatenus *est* ipse actus seu existentia, qua existit. Si primo modo res intelligatur, minime sequitur ultima conclusio. In praemissis vero nihil est, quod unum potius sensum prae alio determinet. Brevi: etsi nihil reipsa datur, quin essendi actu informetur, id tamen nihil admodum prohibet, quominus in eo quod ex vi suae naturae non habet *ut sit, essentia quae est, et secundum quam res in genere et specie ordinatur, aliud sit, ab esse quo est, extra conceptum mentis et extra suas causas.*

592. **Obiectio II.** — Essentia creaturae existentis, praecisa eius existentia, nihil est in rerum natura. Ergo nequit ab hac existentia realiter ac positive distingui, prout in hac sententia concipitur. Prob. antec. Id enim, quo aliquid est in rerum natura, est ipsissima existentia.

Respondetur, aequivocationem latere in illa particula, qua dicitur *praecisa eius existentia*. Talis enim praecisio dupliciter intelligi potest. Primo sic, ut spectetur essentia, quae nec *est* esse, nec *habet* esse. Talis profecto essentia nihil est in rerum natura, et hoc modo dicitur esse in potentia pure obiectiva, et sic valet antecedens argumenti propositi. Secundo spectari potest essentia pro eo quod *habet* quidem esse, non tamen *est* hoc ipsum esse, quo actu est. In hoc sensu negatur antecedens, nec probatio addita hoc evincit, nisi praesumendo, quod est in quaestione, nimirum inter essentiam *quae est*, et esse *quo est*, non posse intercedere nisi distinctionem solius rationis.

593. **Obiectio III.** — Essentia realis, distincta ab existentia, est essentia realiter producta a Deo, qui in hac hypothesi duo faceret, essentiam et existentiam, atque utrumque coniungeret. Atqui quod est terminus realis productionis divinae hoc ipso existit. Ergo essentia realis distincta ab essentia existit.

Responderi potest, concedendo quidem essentiam realem esse terminum realis productionis divinae, ac propterea reipsa existere. Sed nemini hoc dubium esse potest; non enim in controversiam adducitur, num essentia realis

existat, sed utrum sit ipsamet existentia, qua existit. Non est autem imaginandum, quod in productione creaturae triplex productio interveniat: prima qua producatur essentia; altera qua producatur existentia; tertia denique qua utraque invicem consociaretur. Similiter, proportione servata, in prima productione rerum corporearum, non fuit triplex productio, quarum duae priores terminarentur ad materiam et formam, tertia vero ad compositum. In productione proinde seu creatione, v. gr. angeli, unica actione quidditas angeli incipit habere esse, et consequenter producit quidditas *ut recipiens esse*, et ipsum esse *ut receptum*. Et hoc verum est etiam de prima creatione corporum: unica enim productione creatum a Deo fuit compositum; materia autem et forma eadem actione createatae fuere, non quasi ipsae per se factae fuerint, sed indirecte et per accidens, per actionem nempe qua factum fuit compositum. Lege S. Thomam (*Summa th. 1. p. q. 45. a. 4.*).

594. **Obiectio IV.** — Quaecumque sunt aliqua duo realiter distincta, unum fieri vel conservari potest sine altero, saltem de potentia Dei absoluta. Atqui essentia nequit fieri sine existentia, quia essentia, eo ipso quod producit, recipit esse; rursus existentia nequit fieri sine essentia, secus evaderet irrecepta. Ergo essentia et esse reipsa minime distinguuntur. Ita passim argunt philosophi recentiores.

Respondeo. *Conc. min. eiusque probat., ac nego maiorem.* Etsi enim ex separabilitate sequatur distinctio, ex hac tamen illa universe non sequitur. Sic extensio quantitativa nequit conservari sine figura, nec vicissim haec sine illa, etsi una ab altera plusquam ratione distinguatur. Ceterum gravissimi doctores existimant, posse essentiam creaturae existere, non quidem absque omni existentia, sed per existentiam alienam, ut patet ex disputatione de unione animae cum corpore, et naturae humanae cum Verbo. Confer quae diximus [541].

595. **Obiectio V.** — Existentia nequit concipi, ut forma quae unione sua conferat existentiam essentiae.



Nam cum effectus formalis supponat subiectum in quo fit, termini unibiles sunt natura priores ipso effectu formali: effectus autem formalis huius formae est, ut essentia existat: existit igitur essentia, antequam existat, vel, si non existit, ergo cum unio fit, adhuc essentia est nihil: unio autem nihili cum existentia cuiusmodi est?

Respondeo, unum oppositum tot modis accipi, quot accipitur alterum. Porro ens reale, prout scilicet in re aliquid ponit et non solum in mente concipientis, dupliciter dicitur pro duplici ratione seu intentione intellecta quam continet; nimirum uno modo prout satisfacit quaerenti, *quid res sit*; alio vero modo, prout satisfacit quaerenti, *an res sit*. *Nihilum* proinde, seu *non-ens*, dupliciter etiam accipitur et accipi debet, videlicet pro nihilo, ut ita dicam, essentiae, et pro nihilo existentiae. Quocirca ad argumentum supra propositum *conceditur totus discursus, et negatur primum membrum conclusionis*, quod profecto ex praemissis non sequitur. Ad interrogationem vero quae in altero membro eiusdem conclusionis subiicitur, respondetur, nullam vigere repugnantiam in eo, quod *nihilum existentiae*, h. e. aliquid quod *non est ipsum esse*, uniatum cum *existentia*, h. e. cum esse: hoc enim perinde est, ac si dicatur, *haberi esse ab eo, quod in suis praedicatis essentialibus non habet, ut sit*; quod certe est sine dubio verum de qualibet creatura. Neque obstat, quod essentia dicatur *natura prior* respectu creaturae existentis. Non enim omne quod est natura prius altero, eo ipso debet habere esse in signo priori ad hoc alterum. Id enim requiritur dumtaxat *in causa efficiendi*, quippe cum unumquodque sit agens in quantum est actu. Contra accidit in aliis causis. Sic, ut exemplo res declaretur, accidens est natura prius respectu compositi quod eformat, nec tamen habet esse in signo priori ad tale compositum. Tale enim compositum, ex substantia videlicet et accidente, praecise et formaliter habetur per hoc, quod accidens in substantia *insit*: accidentis enim esse est inesse. Si itaque accidens deberet esse in signo priori ad suum compositum, deberet profecto inesse priusquam *insit*, quod manifestam con-

traditionem implicat. Similiter, proportione servata, essentia est quidem natura prior respectu creaturae existentis, sed per modum potentiae receptivae respectu ipsius esse: ergo non debet praetelligi esse in signo priori ad hoc ipsum esse.

596. *Obiectio VI.* — Ratio ducta ex creaturarum contingentia ad hanc rem confirmandam, satis idonea non videtur. Haec enim tandem aliquando redit ad indifferentiam, quae propria est essentiae cuiuslibet creaturae, ad esse et non esse. Ergo, ubi talis indifferentia habetur, si consequenter loqui velimus, ibi profecto agnoscenda esset similis distinctio, vel certe fateri oportet, tale argumentum non valere. Porro consimilis indifferentia viget in ipso esse creaturae; esse enim rosae ex. gr. hiemali tempore non est, verno autem tempore est. Quocirca dicendum foret etiam esse reipsa differre ab esse, quod certe nemo dicit.

Respondeo, non eandem vigere indifferentiam in essentia creaturae ad esse, ac vigere concipitur in hoc ipso esse, neque eundem haberi utrobique distinctionis titulum. Nam prior indifferentia in hoc sita est, quod inter praedicata essentialia creaturae, *tumetsi adaequate intelliguntur, ut reipsa a Deo intelliguntur*, nullo modo ne implicite quidem invenitur esse exercitum in natura rerum; secus eo ipso creatura evaderet ens per se necessarium. Ergo inter *essentialiam* quae est, et *ipsum esse* quod est, non sola viget rationis distinctio, ut quae non habetur nisi inter conceptus unius eiusdemque rei *plus minusve inadaequatos*. E converso, minime dici potest, quod ipsum *esse exercitum in rerum natura* abstrahat ab hoc, quod sit; nihil enim abstrahit a seipso. Neque obstant, quae in argumento tanguntur de indifferentia quae concipitur in ipso *esse rosae*, ut *sit et non sit* diversis temporibus. Ut enim non semel advertit Angelicus Doctor [432, I.], actus essendi qui hac voce *est* significatur duplex est, nimirum vel ipse actus interior mentis componentis et dividens, qui hac voce *est* significatur, prout *est verbalis copula*; vel ipse actus entis, in quantum est ens, quod videlicet aliquid denomi-



natur ens actu in rerum natura, et est *ipsum exercitium actualis existentiae*, iam age, cum dicitur quod esse rosae est et ipsum indifferens ad esse et non esse, profecto hoc esse, ad quod dicitur indifferens, non est *ipsum esse exercitium in rerum natura*; haberetur enim manifesta contradictio in ipsis terminis: sed vocatur esse, secundum quod est *copula verbalis*, significans videlicet propositionis veritatem. Essentia contra creaturae est reipsa indifferens ad ipsum esse exercitium in rerum natura, pro eo quod, ut diximus, illud in suis praedicatis, ne implicite quidem, includit.

### SECTIO VI.

#### *De origine internae possibilitatis creaturarum.*

597. **Praenotandum.** — Quid proprie sit ea quam internam seu absolutam rei possibilitatem vocant, verbis S. Thomae ante declaravimus [564]. Est nempe ipsa sociabilitas notarum intelligibilium rei cuiusque, quatenus nullo non se excludunt ita, ut quod una ponit remoueat ab altera. Quaerimus itaque in praesenti, quaenam sit radix ontologica, unde praedicta notarum sociabilitas habeatur in creaturis. Ne autem tota controversia aequivocatione laboret, sedulo revocare oportet in memoriam, quae ex doctrina eiusdem Angelici Doctoris in Logica adnotavimus [335], de triplici scilicet naturae consideratione. Potest enim spectari vel absolute, vel prout est actu extramentem, vel prout est actu in mente, prout scilicet est actu intellecta. Ipsa igitur sociabilitas notarum quae essentiali eiusque creaturae constituunt, eiusque internam possibilitatem efficiunt, triplici etiam hac ratione spectari potest; proprie tamen ac maxime pertinet ad naturae considerationem *absolutam*. Consideratur enim aliqua

natura absolute, quando inspicitur quoad ea tantum quae *per se* competunt tali naturae. Atqui nihil magis proprie *per se* competit essentiali eiusque creaturae, quam interna eiusdem absolute possibilitas. Porro sic et non aliter spectamus huiusmodi possibilitatem in quaestione quam solvendam aggredimur. Brevi: non adducimus in controversiam, undenam fiat, ut essentiali creaturae possibilis actu sit in rerum natura, vel actu sit intellecta; sed hoc tantum, quaenam videlicet sit ratio sufficiens ontologica ipsiusmet possibilitatis internae, quae *per se* convenit naturae eiusque creaturae *secundum sui considerationem absolutam*.

### THESIS XXI.

*Possibile absolutum, prout huiusmodi, formaliter si consideretur, physice nihil est actu: continetur tamen intra latitudinem entis realis, h. e. non ficti nec chimaerici.*

598. **Probatio.** — Haec thesis fere non eget, nisi sola declaratione terminorum. Porro sermo est, ut patet ex titulo quaestionis, de rebus contingentibus quae non existunt vi suae naturae. Rursus sermo est de possibili absoluto, quae tale est, et quidem considerato in ratione sua formali, puta hominis, vel leonis, non vero de *potentia* seu *virtute* causarum, unde dependet. Denique dicimus, tale possibile nihil esse *actu physice*, h. e. extra conceptum mentis et in natura rerum: res enim absolute possibilis, secundum suam formalem rationem inspecta, actu est in intellectu saltem divino. In hoc sensu thesis sic probatur.

I. Primo itaque, quod dicitur absolute possibile, prout huiusmodi, ac formaliter inspectum, est quidem aliquid factibile, sed nondum est factum. Quod vero sic se habet, physice profecto nihil est actu. Secus vel id haberet vi suae

essentiae, vel ex causa aliqua efficienti. Nequit dici primum, quia tunc eo ipso desineret esse ens contingens, et evaderet ens per se necessarium, quod non est nisi Deus. Neque alterum dici potest, quia, ut supra notavimus, possibile absolutum, qua tale, non est quid factum, tametsi fieri queat, atque adeo intelligitur in signo priori ad actionem causae agentis. Nec refert, quod res absolute possibilis contineri dicatur in suis causis. In his enim est quidem potentia vel virtus, unde res possibilis dependet, non vero habetur actu id ipsum, secundum quod res constituitur in sua propria et formali ratione; secus non fieret.

II. Quod vero tale possibile recte dicatur contineri intra latitudinem entis realis, patet ex iis quae ante diximus [446]. Ens enim reale dicitur per oppositionem ad *ens rationis*. Ens autem rationis proprie dicitur, quod in re nullum positivum esse habet aut habere potest, sed solum in fictione intellectus. Ergo ens reale vere et proprie dicitur non modo illud, quod verum et positivum esse habet in rerum natura, sed etiam quod huiusmodi esse habere potest. Sic autem se habet possibile absolutum, de quo loquimur. Quocirca recte observat Suarez, "essentiam possibilem creaturae obiectivam divinae scientiae non esse ens factum ab intellectu, sed esse ens revera possibile, et capax realis existentiae, ideoque non esse ens rationis, sed sub ente reali aliquo modo comprehendi..." Unde recte Caietanus (*De Ente et Essentia*, c. 4, q. 5.) ait, ens reale dupliciter accipi: uno modo, ut distinguitur contra ens fabricatum ab intellectu, quod proprie est ens rationis; alio modo, ut distinguitur contra non existens actu. Essentia ergo creaturae secundum se est ens reale primo modo, scilicet in potentia, non vero posteriori modo et in actu... (*Metaph.* D. 31. sect. 2. n. 10.)

THESIS XXII.

*Interna creaturarum possibilitas non pendet ab earumdem existentia, aut ab humano intellectu, h. e. non ideo creatura est possibilis, formaliter et absolute loquendo, quia actu existit in natura rerum, vel actu ab humana mente intelligatur.*

599. *Probatio I. partis.* — Statuitur haec doctrina contra errorem, qui ab Aristotele (S. al. 9. *Met.* c. 3) tribuitur scholae Megaricae, quae assererat nihil esse possibile vere et proprie, nisi quando actualiter existit. Facile autem refellitur. Interna enim creaturarum possibilitas necessaria est, ac propterea vere de essentia enuntiatum non modo cum actu existit, sed etiam antequam actu sit, vel postquam esse desierit. Atqui id non fieret, si creaturae eatenus possibiles dicerentur, quatenus actu sunt. Quare S. Thomas ita exponit tertiam rationem contra hunc errorem factam a Philosopho. "Sensus est potentia quaedam. Si igitur potentia non est absque actu, sequeretur quod aliquis non habet sensum, nisi quando sentit, ut puta visum aut auditum. Sed ille, qui non habet visum cum sit natus habere, est caecus; et qui non habet auditum, est surdus. Sic igitur eadem die frequenter erit surdus et caecus; quod manifeste est falsum. Nam caecus non fit postea videns, neque surdus audiens." (*loc. cit.* lect. 3.) Nec refert, quod in his exemplis videatur esse sermo de possibilitate externa potius quam interna: illa enim hanc subaudit, cum nulla detur potentia efficiendi rem contradictoriam.

600. *Probatio II. partis.* — Ostenditur modo fere consimili ac praecedens. Statuitur autem contra vetustissimum errorem Protagorae qui, teste Aristotele (10. al. 11. *Metaph.* c. 5.), effutiit, omnium rerum mensuram



hominem esse, scilicet secundum sensum et intellectum. Sic itaque arguimus. Quod est mutabile, contingens, ac temporaneum, non potest esse ratio sufficiens rei necessariae, immutabilis, atque aeternae. Atqui humana mens in intelligendo continuis mutationibus subicitur, contingenter existit atque adeo contingenter operatur, temporis denique vicissitudinibus concluditur: e converso, interna rerum possibilitas, cum sit praedicatum earundem essentialia, oppositas habet proprietates [482]. Ergo haec ab illa pendere non potest. Quocirca recte contra huiusmodi errorem sic ulterius licet argumentari. Si enim propterea aliquid est absolute possibile, quia sic concipit humanus intellectus, cum plerumque contingat, ut quod unius hominis intellectus dicit esse possibile, alterius hominis (vel etiam eiusdem in alio tempore), intellectus dicat esse impossibile, sequitur manifeste, unum idemque fore interne possibile et impossibile, quod tantumdem est atque affirmare, unum idemque fore simul ens et non ens contra veritatem primi principii. Hinc recte Philosophus (4. *Metaph.* c. 3.) opinionem Protagorae assimilat errori dicentium contradictoria esse simul vera, quemadmodum expresse fatentur critici transcendentales qui Protagorae errorem rursus in scenam novo apparatu protulerunt.

### THESIS XXIII.

*Absolute creaturarum possibilitas a divina potentia seu voluntate non pendet, sed in divina natura ultimo fundatur.*

601. *Errores refutandi.* — Antequam haec thesis probetur, observa triplicem esse errorem, contra quem adstruitur. Primo itaque militat contra Ockanum qui (1. *Dist.* 43. q. 2.), reiecta distinctione communiter admissa inter possibile intrinsecum et extrinsecum, omnem rei possibilitatem a divina omnipotentia derivat. Secundo adstrui-

tur contra Cartesii paradoxum asserentis (P. 1. *Epist.* 110, 112, 115; P. 2. *Epist.* 104.; *Medit.* resp. 6.), a libero Dei beneplacito pendere quod tres anguli v. g. cuiusque trianguli sint aequales duobus rectis, ac similiter essentias ceterorum possibilium. Facit denique contra Wolfium eiusque scholam, quae docet, existentiam quidem rerum a Deo pendere, sed non essentiam, ac propterea, in absurda hypothese Dei non existentis, fore adhuc possibles creaturas, spectata nimirum ipsarum essentialia, quippe quae necessariam connexionem non habet cum divina natura.

602. *Probatio I. partis.* — Duplici enim modo statui potest, omnem rei possibilitatem a divina potentia dependere, videlicet vel quatenus sit aliquid a Deo productum in re quae possibilis denominatur, vel per respectum ad ipsam, quatenus nihil dici potest ullo modo possibile, nisi per eo quod a divina omnipotentia produci possit. Atqui neutrum veritatem habet. Non primum, quia possibile, quia tale, praesertim si absolute dicatur, non est aliquid, quod actu habet esse in seipso et in natura rerum. Atqui quod est terminus realis productionis, eo ipso actu habet esse in seipso et in natura rerum. Relinquitur igitur ut possibilitas ideo dicatur pendere a divina potentia, quia perinde est rem esse possibilem ac eam posse a Deo fieri. Id porro est certe unus e modis, quibus res dicitur possibilis [565], non tamen unicus, sed necessario admittere oportet rem dici interne possibilem in signo priori ad hunc ordinem respectu divinae potentiae. Ut enim arguit S. Thomas: " Si dicitur (Deus) omnipotens, quia potest omnia possible; aut hoc est, quia potest omnia possible sibi, aut quia potest omnia possible naturae. Si quia potest omnia possible naturae, tunc eius omnipotentia naturae potentiam non excedit: quod est absurdum. Si vero quia potest omnia possible sibi, tunc pari ratione quilibet dicitur omnipotens, quia quilibet potest omnia possible sibi: et praeterea est ibi quaedam expositio per circumlocationem, quae non est conveniens. " (Oq. Disp. *Pot.* p. 1. a. 7.)

603. *Probatio II. partis.* — Ad opinionem Car-



tesii refellendam satis superque est communis naturae sensus. Cum enim quaerimus num aliquid sit absolute possibile nec ne, minime confugimus ad divinam voluntatem, sed ipsis naturae ductu diligenter perpendimus utrum in suis notis essentialibus contradictionem involvat nec ne. Brevi: non dicimus aliquid repugnare, quia Deus sic vult, sed ideo asserimus procul dubio Deum non posse aliqua velle, quia repugnat, puta ipsum mentiri, vel circulum esse quadratum. Acedunt praeterea contra hunc opinandi modum duo gravissima incommoda.

I. Necessario inde consequitur, nullam dari scientiam proprii nominis. Cognitio enim vere scientifica veritate constat necessaria et immutabili [374]. Id vero ex mente Cartesii dici non posset: ipso enim fatente, posset Deus velle duo et duo non esse quatuor, et, hoc Deo volente, verum esset. Unde fieret, ut ipsa naturalis certitudo plane corrueret. Ipsa enim natura docente ac sine ulla prorsus dubitatione, indicamus multa esse in se et in omni hypothesis prorsus omnino impossibilia, nimirum ea omnia in quibus evidentem contradictionem conspicimus. Talia porro iudicia, Cartesio iudice, falsa sunt. Ergo naturaliter ac necessario erramus.

Nec valet recursus ad immutabilitatem divinae voluntatis. Etenim haec immutabilitas est *ex suppositione*, quod Deus aliquid velit, quatenus non potest retractare suam voluntatem. Ut igitur asseramus aliquid fieri non posse, oporteret nosse quid Deus velit. Id autem non posset cognosci ex necessariis relationibus rerum quas conspiciamus: haec enim necessitas nulla est in hac opinione antecederet ad divinum velle liberum. Nec potest etiam naturaliter cognosci ex Dei ipsius revelatione, quippe quae naturaliter non suppetit. Praeterea, si absolute non repugnat, fatente Cartesio, duo duobus addita non esse quatuor, undenam quaeso naturaliter ac certo affirmare possumus, repugnare ut Deus consilium suae voluntatis retractet? Id certe deducimus ex veritate primi principii, contradictionis videlicet, quod in sententia Cartesii ex Dei beneplacito posset evadere falsum.

II. Alterum inconveniens, quod perspicuum est in hac sententia, in eo habetur quod statuat, posse tanquam obiectum divinae voluntatis ac virtutis admitti aliquid intrinsece repugnans, cuiusmodi esset e. g. circulus quadratus vel animal sensu carens. Hoc autem nulla ratione sustineri potest, cum ipsam potentiae operativae notionem de medio pellat. Potentia enim quaevis operativa respicit suum obiectum sub ratione entis: ratio autem entis removetur per suum oppositum, seu non-ens. Ergo est plane impossibile, ut tanquam terminus potentiae seu virtutis operativae ponatur aliquid quod implicat esse et non esse simul. Neque inde finguntur limites in divina potentia: non enim continentur intra potentiae cuiusque obiectum. \* Unde, ait S. Thomas, convenientius dicitur, quod ea non possunt fieri, quam quod Deus ea non possit facere. Neque hoc est contra verbum Angeli dicentis: *Non est impossibile apud Deum omne verbum*; id enim quod contradictionem implicat, verbum esse non potest, quia nullus intellectus potest illud concipere. (Summa th. 1. p. q. 25. a. 3.)

604. *Probatio III. partis.* — Ratio sumitur ex summa perfectione primi entis, quod est Deus. Nam eodem plane titulo aliquid dicitur absolute possibile, quo dicitur ens reale, prout ante declaravimus th. XXI, nimirum pro eo quod capax est ut ei essendi actus conveniat vel convenire queat. Porro realitas nulla, praeter Deum, est aut esse potest, nisi secundum quod pro suo modo participat similitudinem infinitae perfectionis divinae naturae. Cum enim Deus sit principium absolute primum rerum omnium, necesse est perfectiones omnes secundum perfectissimum actum earumdem in eo praecontineri, tanquam in exemplari radice. Ergo nihil est absolute possibile nisi quatenus summa perfectio divinae naturae secundum aliquem modum similitudinis a creatura participari queat. Ergo divina natura est fundamentum primum cuiusque realitatis ac possibilitatis, ac perinde est adstruere rem aliquam possibilem a divina natura independentem quam denegare Deum in ratione entis



esse absolute ac simpliciter primum. Quare recte S. Thomas. \* Unaquaqueque creatura habet propriam speciem secundum quod aliquo modo participat divinae essentiae similitudinem. » (*Summa th.* 1. p. q. 15. a. 2.) Similiter Lessius. \* In obiecto, ait, omnipotentiae divinae duplicem considerari posse possibilitatem; intrinsecam et extrinsecam, remotam et propinquam. Intrinsicam possibilitatem est aptitudo ipsius rei, seu non repugnantia, ad existendum. Eadem dici potest possibilitas remota; ratione enim huius dicitur res possibilis, etiamsi non consideretur ulla potentia qua possit produci; sicut color est in se visibilis, etiamsi nullus sit visus qui potest illum videre. Hanc possibilitatem habet res quodammodo a Deo, non quidem per actionem aliquam liberam vel necessariam, qua Deus rem illam in *esse possibili* producat (esse enim possibile, qua tale, non potest esse terminus productionis, nec potest habere causam effectivam); sed habet eam a Deo, *tamquam a causa quasi exemplari*. Essentia enim divina, quatenus est tali modo imitabilis et communicabilis, est ratio per modum radicalis ideae (h. e. exemplaris), cur humana natura sit possibilis et habeat tale esse obiectivum et potentiale. Idem censendum de reliquis omnibus possibilibus. Itaque ipsa essentia est prima radix omnis esse obiectivi et possibilitatis intrinsecae omnium possibilium; et pendet ab essentia divina, tamquam a prima et originali omnium idea a qua singula suam speciem et rationem conceptibilem in suo gradu et ordine varie limitatam habent, modo iam explicato. » (*De perfectionibus divinis*, lib. 5. c. 2. §. 10.) Atque haec modo sufficient; plenior enim probatio huius rei dependet ex iis quae in theologia naturali dicuntur de perfectione divinae naturae.

605. *Scholion.* — **Utrum creaturae possibiles, prout huiusmodi, a divino intellectu pendeant nec ne.** Ultimo loco quaeri potest, qua ratione intellectus divinus se habeat respectu absolutae possibilitatis creaturarum, num videlicet *practice*, vel contra *speculative duntaxat*. Paucis haec dicenda videntur.

I. Certum est primo ex dictis, divinam essentiam, *ratione infinitae suae imitabilitatis*, esse radicem primam omnium et singularum perfectionum finitarum possibilium, quae in quacumque creatura inveniri possunt, idque non solum in eo in quo creaturae invicem conveniunt, sed etiam secundum ea omnia per quae invicem distinguuntur, sive genericè, sive specificè, sive etiam individualiter. Et haec est ratio, quamobrem, ut eleganter exponit S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 14. a. 6.), divina essentia est plenissima ratio cognoscendi omnia quae creaturae conveniunt quocumque modo. Quare cum *creaturae possibiles* dicuntur *formaliter non contineri in divina natura*, hoc dictum necessaria distinctione et declaratione indiget. Potest enim id intelligi dupliciter, prout vox *formaliter* componitur cum *re possibili* vel potius cum verbo *continetur*, quod exprimit continentiam rei possibilis in divina natura. Si prima fiat compositio, tunc sensus hic esset: *res possibilis considerata in sua formali seu propria ratione, qua nimirum in se constituitur, minime continetur in divina natura*. Hic porro sensus est falsus omnino. Nam in divina essentia secundum modum excellentem praexistit et continetur quicquid perfectionis est in quacumque creatura, atque adeo non modo id in quo creaturae diversae conveniunt invicem, sed etiam ea quibus quomodocumque distinguuntur. Et haec est causa, propter quam, ut diximus, divina natura potest esse ratio cognoscendi res omnes, non solum cognitione quadam communi et confusa, sed cognitione propria et distincta rerum omnium secundum uniuscuiusque differentias. Quod si alio sensu obiectum antecesser accipiatur, dividendo videlicet vocem *formaliter a re possibili* eamque componendo cum verbo *continetur*, tum verissime quidem id dicitur, sed in rem praesentem minime facit. Hunc enim sensum efficeret, nimirum *essentiam divinam non esse formaliter illam ipsam perfectionem, quae est in creatura, puta hominem, sensum, mentem humanam*. Id autem profecto solus pantheïsta effuget.

II. Certum est secundo, res omnes possibiles actu



et formaliter existere in mente divina eo modo quo res intellecta existere dicitur in mente concipientis, *existentia nimirum non physica, sed intentionalis*. Hoc enim perinde est ac affirmare aciem divini intellectus terminari ad omne id quod possibile est, cognitione non solum confusa et communi, sed distincta et propria. Atqui id manifeste convenit divino intellectui. Et huc spectat elegans illa demonstratio S. Thomae. \* Ipse (Deus) essentiam suam perfecte cognoscit; unde cognoscit eam secundum omnem modum quo cognoscibilis est. Potest autem cognosci non solum secundum quod in se est, sed secundum quod est participabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquaeque autem creatura habet propriam speciem secundum quod aliquo modo participat divinae essentiae similitudinem. Sic igitur in quantum Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem et ideam huius creaturae; et similiter de aliis. (Summa th. 1. p. q. 15. a. 2.)

III. Certum est tertio, formaliter et in rigore loquendo, minime creaturam aliquam in sua propria ratione consideratam, puta hominem ut homo est, esse aut dici possibilem *propterea quia a Deo intelligitur*. Nullus enim intellectus efficit obiectivam intelligibilitatem sui obiecti, sed haec intellectioni praesupponitur, ut obiectum quodlibet respectu proprii actus. Praeterea Deus intelligendo suam essentiam, non facit eam esse imitabilem, sed hanc imitabilitatem detegit et comprehendit, ut manifeste liquet ex discursu Angelici paulo ante recitato. Atqui unumquodque in tantum est absolute possibile, in quantum est terminus imitabilitatis essentiae divinae. Ergo divinus intellectus intelligendo divinam essentiam non efficit internam rerum possibilitatem, sed eam detegit et comprehendit. Denique intellectus divinus non habet rationem causae respectu sui intelligibilis, nisi pro eo quantum coniungitur cum decreto divinae voluntatis, ut expresse docent theologi cum S. Thoma (Summa th. 1. p. q. 14. a. 8.). Atqui interna rerum possibilitas est

in signo priori ad omne decretum divinae voluntatis, ut ante demonstravimus.

IV. Ex his denique facile intelligitur resolutio quaestiuiculae, in cuius gratiam haec praemisimus. Nempe in re possibili duplex esse concipi potest, *logicum et physicum*. Illud habet prout est terminus intellectus concipientis: hoc vero prout consideratur extra mentem concipientis. Utrumque rursus dupliciter adhuc convenire potest rei possibili, *actu nimirum vel potentia*, prout consideratur ut intellecta vel existens, aut ut intelligibilis dumtaxat vel potens existere. Iam vero si primo modo res possibilis consideretur, quatenus videlicet ei actu convenit esse sive logicum, sive physicum, manifestum est eam hac ratione spectatam pendere a divino intellectu. Pendet quippe a divino intellectu sive ut intelligatur sive ut existat. Quod si alio modo consideretur, minime pendere dicenda est a divino intellectu. Etsi enim a divino intellectu res possibilis habet quod *intelligatur*, vel in natura rerum *existat*, non tamen inde habet quod *intelligi aut esse possit*. Tantum quippe id valet, quantum affirmare rem idcirco praecise esse intelligibilem vel possibilem, quia a Deo intelligitur: quae propositio causalis, formaliter et in rigore loquendo, minime concedi potest, ut diximus.